



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Acta Synodalia Osnabrvngensis Ecclesiae, Ab Anno Christi
MDCXXVIII.**

Brogberen, Johannes

Coloniae Agrippinae, 1657

Vicarii, ut Divinis laudibus decantandis intersint, adigendi. 11

urn:nbn:de:hbz:466:1-14298

constitutione omnes (quotquot sunt in Nostris Dicecesibus constituti) Clericos, qui habitu minus decenti utuntur, monemus, ut intra tres menses, quorum singulos pro singulis dilationibus, tertium vero uti peremptorium terminum præfigimus, habitum qui Clericos deceat, reassumant; alioqui ipso facto, nulla posthac alia monitione expectanda, in censuras ac pœnas constitutionum Canonicarum incurfuri.

CAP. IX. *Decani undiquaque advigilabunt.*

QVo ergo hæc, quæ diximus, repurgentur, ac debite simul cum omnibus aliis, ac Divini Officii prosecutionem ac Chori disciplinam spectantibus, observentur, Decanus diligenter invigilabit, hinc & hinc circumspiciens, ne quid inordinate fiat.

CAP. X. *Ante omnia vero, ut Canonici sacris adsint.*

CVi ante omnia curæ erit, ne quis Canonicorum sacris absit, sed ut, qui emolumentum ferre volent, Officium quoque suum, propter quod beneficium datur, in Ecclesia gerant. Aurelianensi Concilio cavetur, Clericos, qui Officio adesse contemnunt, Ecclesiasticam disciplinam arbitrio Episcopi recepturos. Sed facile castigabitur hic lapsus, si negligentes, subtractione proventuum seu distributionum, mulctentur. Quare, qui ab Epistolæ lectione, exinde toti Missæ, & à primo psalmo, singulis horis Canonicis integris, ac minime truncatis, ac minime interpellatis (nisi forsân necessitate avocante, petitaque ac obtenta licentia,) non interfuerit, justum est, ut hic illius Horæ aut Officii stipendio in totum careat.

CAP. XI. *Vicarii, ut divinis laudibus decantandis intersint, adigendi.*

QVi Vicarii dicuntur, in quibusdam Collegiis se in libertatem quandam potius carnis, quam spiritus, vindicare contendunt, nolentes Choro, decantandisque, simul cum Canonicis, Divinis laudibus ac sacris, esse addicti: sed hi respiciant, ac incipiant intelligere, cur Vicarii dicantur; Superpelliceis quoque utantur. Cujus enim vices gerent, nisi Canonicis adjutores accedant? horum nimirum vice, qui, vel adversa valetudine detenti, vel negotiis necessariis avocati, interesse non possunt. Cur tandem superpelliceis utentur, qui Chori sacris se mancipatos non agnoscent? In ordinem ergo Disciplinæ redigantur; suspensionisque pœna, etiam à fructibus, nedum quotidianis illis qui distribuuntur, sed

à grossis etiam, pro culpæ modo, animadvertendum in non parentes.

CAP. XII. *Ad personalem residentiam cogendi; quibus hæc per fundationes beneficiorum est imposita.*

QVorum fundationes personalem residentiam requirunt, illi aut ipsi resideant, aut a proventuum perceptione suspendantur, & fructus illi in alios pios usus convertantur; nisi qui Reipub. causa ex autoritate Nostra abfuerint.

CAP. XIII. *Lucri tantum causa sacris adesse non oportere.*

V Tinam optando à Deo Opt. Max. confequi possimus, ne quisquam lucri causa divinis interesset, alioqui non accessurus sacra; veluti quem nummi magis, quam Dei amor in templum trahit; quæritum pietatem esse putans: qui, non dubium, ex numero eorum est, de quibus Esaias dixit: Omnes diligunt munera, sequuntur retributiones. Nec multum is abest (uti plerisque doctissimis viris placuit) ab horrendo crimine Giezi, qui existimavit, divinum munus pecunia redimendum. Quare viderint Clerici Nostri, ut eorum mens & intentio tota in Deum referatur, ut cum David confiteantur Deo in directione cordis, ac in labiis suis pronuncient omnia judicia oris ejus: in via etiam testimoniorum Domini delectentur sicut in omnibus divitiis. Optandum, ut Psalmus ille centesimus decimus octavus, qui toties non sine causa in Ecclesiis replicatur, ore simul & correspondente singulis verbis mente decantetur; & cum eodem Psalte ex animo dicatur: Voluntarie sacrificabo tibi, & confitebor nomini tuo Domine, quoniam bonum est. Non adimit Christus, sed decernit, operanti, suam mercedem: Dignus est enim operarius mercede de sua. Et qui Altario deservit, de Altario & vivet. Sed interim cogitare debet Clericus, se vivere non ut edat, sed edere ut Christo vivat, habereque semper mente reconditum Christi verbum: Primum quærite regnum Dei, & justitiam ejus; & hæc omnia adjicientur vobis.

Isaia I.

4 Reg. 5.

Psal. 118.

Psal. 53.

1 Cor. 9.

1 Tim. 3.

Matth. 6.

CAP. XIV. *Capitula disciplinæ qualiter observanda.*

CAPitula vero Disciplinæ (quæ vocant) multo majori diligentia observentur, atque hæcenus. Id ita fiet, si non tam prophænæ quam res sacræ in his tractentur; si de moribus inquiretur; si vita expendatur singulorum; & quod olim sancti Patres fecisse dignoscuntur, extemporali oratione interdum commonerentur fratres, & imprimis ad

Joan. 4.

M 4 sacras

April. 25.

20.

3. 11. 11.